

30. *Requiritur etiam consensus superioris: et cujus antiquitas.* — Quarto ad ejusmodi alienationem requiritur consensus superioris; sicque opus est, ut ejus quoque auctoritas accedat. Porro antiquitas nomine *Superioris*, impraesentiarum veniebat proximus superior: ut puta, in alienatione ab abbate facienda episcopus, can. *Abbatibus*. 12. q. 2. et can. *In venditionibus*. 17. q. 4. Imo in alienatione episcoporum olim solus consensus capituli requirebatur, can. *Sine exceptione*. 12. q. 2.

31. *Hodie de puncto juris loquendo ad eam requiritur consensus summi Pontificis.* — Hodie tamen, de puncto juris loquendo, in alienationibus rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum ecclesiasticarum, etiam requiritur consensus summi Pontificis: prout habetur clare statutum in cap. n. h. t. in 6. ibi: « Absque Capituli sui consensu, et apostolicæ sedis licentia speciali. » Quod ipsum, et quidem generalius, decernitur in Extravaganti, *Ambitiosæ*, supra n. 6. jam relata, ibi. « Inconsulto Romano Pontifice. »

32. *Et quid de consuetudine, præsertim Germaniæ?* — Dicitur notanter, « de puncto juris loquendo. » Siquidem, ut post Zypæum, *Analysi. jur. pontific.* t. I. n. 2. notat Engel, h. t. n. 15. de *Consuetudine*, præsertim in Germania, et locis ab Urbe remotis, ubi difficilis aditus ad Papam est, dicta Extravagans recepta non est; saltem non quoad hoc, ut etiam inferiores prelati episcopis subjecti teneantur in ejusmodi alienationibus consensum Papæ requirere: adeo, ut non sufficiat consensus episcopi. Quin imo eandem Extravagantem in multis locis non esse usu receptam, saltem in toto rigore, ac præsertim quoad pœnas, et locationem ultra triennium, asserit etiam Covarruvias, 15. lib. 1. *Variar. resolut.* cap. xvi. n. 6; Navarrus, in *Manual.* cap. xxvii. n. 149; Sylvester, in *Summa.* §. *Alienatio*. § 15; Engel, cit. n. 15; Pirhing, h. t. n. 56; Vallensis, eod. §. 3, n. 3. cum pluribus aliis, quos citant. Unde in praxi attendantur particulares consuetudines locorum legitime præscriptæ.

33. *Patroni consensus non requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum.* — Cæterum consensus patroni non requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum, si justa causa subsit, atque accedat consensus superioris, cæteræque solemnitates rite observentur. Nam patroni, seu conditores, aut dotatores Ecclesiarum, in rebus, quas eisdem

Ecclesiis conferunt, nullam habent potestatem: sed juxta canonum instituta, sicut Ecclesia, ita et dos ejus, ad ordinem episcopi pertinet; prout habetur can. *Noverint*. 10. q. 1. et can. *De rebus*. 12. q. 2. juncto concilio Tridentino, sess. 22. cap. ii. de *Reform.* ac notat Pirhing, h. t. n. 61, citans alios.

34. *Nisi in duobus casibus: et quibus?* — Excipe cum eodem Pirhing, n. 62. duos casus. Primo, si patronus sua bona dedisset Ecclesiæ, non absolute, sed in feudum; tunc enim absque ejusdem consensu non possent alienari bona ipsius, arg. c. *Ex transmissa*. 6. et c. *Verum*. 7. de *Foro competent.* Secundo, si patronus in limine foundationis appuisset hanc conditionem, etiam acceptatam ab episcopo, ut non alienentur in posterum bona Ecclesiæ sine suo consensu: de quo vide dicta superius tit. V. de *præbendis*. §. 4. n. 105, et seqq.

35. *Prædictæ solemnitates requiruntur solum in alienatione rerum ecclesiasticarum immobilium, et mobilium pretiosarum.* — Queritur IV. An prædictæ solemnitates requirantur in quarumcunque rerum ecclesiasticarum alienatione? Resp. I. Eas requiri solum in alienatione rerum ecclesiasticarum immobilium, ac mobilium pretiosarum: nam de his duntaxat jura, dictas solemnitates requirentia, loquuntur: ut c. *Nulli*, 5. h. t. ibi: « Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ. » Quod ipsum procedere de re mobili, pretiosa, utpote quæ æquiparatur immobili quoad difficultatem alienationis, l. *Lex quæ tutores*. §. C. de *Administrat. tutor.* nota Glossa, c. *Tua nuper*. §. *Tractatu.* de *his quæ sunt a prælatis*, etc. et Abbas, d. c. *Novit*. n. 8. h. t. habeturque clare decisum in Extravag. *Ambitiosæ*. h. t. inter commun. ibi: « Immobilia, et pretiosa Deo dicata. »

36. *Fallit hæc regula in Terrulis, et aliis rebus exiguis. Idque declaratur.* — Resp. II. Etiam ab hac generali regula oportet nonnullos casus speciales excipere, juxta illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. » Sic imprimis excipiuntur *Terrulæ, Vineolæ*, et aliæ hujusmodi res exiguae, minusque utiles Ecclesiis: hæ enim (concurrentibus tribus conditionibus, supra n. 22. relatis) possunt alienari absque aliis solemnitatibus juris; puta, absque prævio tractatu, et per solum episcopum, non requisito expresso consensu capituli. Textus est in can. *Terrulas*. 12. q. 2. ibi: « Terrulas, aut vineolas exiguas, et Ecclesiæ minus utiles, aut longe

positas parvas, episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem. » Hæc ibi: estque recepta doctorum sententia. Neque huic can. *Terrulas*. derogatum fuit per Extravag. *Ambitiosæ*, h. t. inter commun. ac supra n. 6. relatum, nec per concilium Tridentinum, sess. 25. cap. ii. de *Reform.* prout declarasse sacram congregationem concilii, die 11 januarii 1596. refert Fagnanus, c. *Nulli*. n. 25. h. t.

37. *Can. Terrulas. 12. q. 2. de facto non est derogatum. Is concordatur cum c. Ut super, §. fin. h. t.* — Dices. Saltem memorato can. *Terrulas*. 12. q. 2. derogatum est per c. *Et super*. 8. §. fin. h. t. eo quod hic requiratur consensus capituli etiam pro alienatione rerum minus utilium, illis verbis: « Possessiones vero, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, et sanioris partis consilio et assensu, alienandi, seu commutandi, liberam concedimus facultatem. » Hæc ibi. Resp. negando assumptum: nam ut notat Glossa, fin. ibid. et Engel, h. t. n. 8. in allegato textu ly, « Possessiones minus utiles, » dicuntur tales comparatione magis utilium, et sic verbis istis denotatur justa causa alienandi res Ecclesiæ; nempe major utilitas, servatis tamen debitis solemnitatibus juris. At vero in cit. can. *Terrulas*, per ly, « res minus utiles, » intelliguntur illæ, quæ fiunt tales simpliciter et absolute: atque in harum alienatione non requiritur expressus capituli consensus, sed sufficit tacitus; qualis jam censetur intervenire, dum capitulum scit talem fieri alienationem, et non contradicit c. *Continebatur*. 2. de *his quæ a prælatis*, etc.

38. *Res exigui valoris, quæ?* — Quænam autem dicatur « Res exigui valoris, » cum id jure definitum non sit, est relinquendum judicis arbitrio, qui consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ, et loci consuetudine, æstimabit, et judicabit, an hujusmodi res sit modica necne; per textum in c. *Cæterum*. 3. de *Donation.* et tradit Abbas, cap. 1, n. 8. de *in integr. restitut.*; Menochius, de *Arbitr. judic.* lib. II. cas. 145. n. 4, card. de Luca, de *alienatione* Discurs. 1, n. 117 et 118; Vallensis, h. t. §. 2, n. 3, et Fagnanus, in c. *Nulli*, n. 62, h. t. allegans pro hac sententia decisionem sacre congregationis concilii.

39. *In alienatione necessaria non requiruntur solemnitates juris.* — Secundo a præfata regula, seu necessitate adhibendi memoratas

solemnitates, excipitur alienatio necessaria, seu quæ fit ex necessitate juris, eo quod jus præcipiat illam fieri. Sic bona immobilia fratribus minoribus sub modo linito legata, v. g. domus, agri, ut vendantur, ac pretium in ipsorum fratrum necessitates convertatur, possunt per idoneas personas alienari: neque in hujusmodi alienatione opus est alia solemnitate, quia fit ex præscripto regulæ seraphicæ, juncta ejusdem declaratione per Nicolaum III. edita, quæ refertur in c. *Exiit qui seminat*. §. *Ad hæc quia, de Verb. signif.*; adeoque ex necessitate juris; Fagnanus, loc. cit. c. *Nulli*. n. 27 et 28, h. t.; Soënius, in *Fallentiis*, reg. 10. n. 3. et alii.

40. *Res ab antiquo in feudum, vel emphyteusin dari solitæ, possunt absque solemnitatibus juris denuo infeudari, etc.* — Tertio excipiuntur res immobiles ab antiquo in feudum, vel emphyteusin dari solitæ. Hæ siquidem feudo hujusmodi, vel emphyteusi expirante, iterum in feudum, seu emphyteusin dari possunt, absque solemnitatibus juris cæteroquin ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitis; dummodo id fiat in evidentem ecclesiæ utilitatem. Idque inter alia patet ex cit. Extravag. *Ambitiosæ*. h. t. inter, commun. ubi a generali prohibitione alienandi bona ecclesiarum, memoratæ res immobiles clare excipiuntur, illis verbis: « Præterquam de rebus, et bonis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis: » notant doctores communiter.

41. *Secus, si hactenus non sint solitæ dari in feudum, vel emphyteusin.* — Hoc autem non licet, si res illæ hactenus non sint solitæ dari in feudum, vel emphyteusin: idque tum propter dictam Extravag. *Ambitiosæ*; tum quia in c. *Nulli*. 5. h. t. generaliter prohibentur res immobiles ecclesiarum alienari (intellige, absque justa causa, et non servatis solemnitatibus juris) et mox subditur: « Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, et emphyteusis perpetuum contractum. » (ADNOTATIO XIX.)

42. *Locatio ad triennium valet sine alia solemnitate.* — Quarto excipitur locatio, atque conductio rei Ecclesiasticæ ad triennium. Hæc enim, si per prælatum fiat justa de causa, valet etiam sine alia solemnitate: argumento a sensu contrario desumpto ex cit. Extravag. *Ambitiosæ*, ibi: « Locatione, et conductione ultra triennium. » Frustra enim in prohibitione locationis, et conduc-

tionis rerum ecclesiasticarum, adderetur ly, « ultra triennium, » nisi præmissa intelligeretur locatio et conductio ad triennium, vel infra.

43. *Utrum locatio facta ultra triennium, valeat saltem ad primum triennium?* Num autem locatio rei Ecclesiasticæ ultra triennium, puta, ad novem annos, facta sine solemnitate, tota quanta corruat, cum canones sine distinctione videantur annullare talem contractum; an vero saltem valeat quoad tres illos primos annos, juxta reg. 37. juris in 6. « Utile non debet per inutile vitiari; » disputant doctores. Breviter tamen dicendum cum Gutierrez, *Canon. quæst.* l. II, c. 13, n. 7; Engel, h. t. n. 12. et aliis: Rota apud Merlin. decis. 826; eam non valere, si facta est una tantum indivisibilis locatio pro toto illo tempore: valere autem ad primum triennium, si modo ordinario facta est locatio pro annua pensione; et ita divisibiliter ad primum, secundum, tertium, et reliquos annos. Item si fructus ex bonis locatis non percipiuntur singulis annis. Posthous, *de Manu- tent.* decis. 215. n. 9. ubi Rota.

44. *Repudiatio rerum, quæ nondum sunt incorporate bonis Ecclesiæ, valet absque solemnitatibus.* — Quinto excipitur alienatio, seu potius repudiatio rerum, quæ nondum sunt incorporate bonis Ecclesiæ; ut sunt res Ecclesiæ legatae, sed nondum traditæ. Nam istas posse prælatum valide repudiare absque solemnitatibus juris etiamsi res sint immobiles, tradit Socinus in *Fallentiis.* cit. reg. 110. et Vallensis, h. t. §. 2. n. 4. atque ex communiori, et probabiliori doctorum, dictum est supra tit. X. *De his quæ fiunt a prælati-*, et c. §. 2. n. 38. et seqq.

45. *Mancia Ecclesiæ, an, et qualiter alienari poterunt?* — Sexto excipiuntur mancipia Ecclesiæ, quæ licet inter res mobiles pretiosas computentur ideoque (demptis fugitivis, can. *Fugitivi.*, 12. q. 2.) alienari, vel permutari prohibeantur. cap. III et IV. *de rerum permutat.* Possunt tamen manumitti ab illis ecclesiarum rectoribus, qui dant Ecclesiæ rem duplæ æstimationis; ut dicitur c. *Consensus* 3. h. t.

46. *Fructus aliæque bona ecclesiastica quæ servando servari non possunt, alienantur sine solemnitatibus.* — Septimo excipiuntur fructus, et alia bona ecclesiastica, quæ servando servari non possunt. Et hæc exceptio habetur clare in sæpe citata Extravag. *Ambitosæ*, illis verbis: « Præterquam de fructibus,

et bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia. » Quæ proinde per prælatum absque aliis solemnitatibus alienari possunt.

47. *Et quæ dicantur bona, quæ servando servari non possunt.* — Porro bona, quæ servando servari non possunt, dicuntur illæ res mobiles, quæ non durant triennio: vel, quæ usu consumuntur, et non fructificant, arg. l. *Lex quæ tutores.* §. fin. C. *de Administrat. tutor.*; Navarrus, in *Commentar. De alienatione rerum Ecclesiast.*, n. 4; Fagnanus, c. *Nulli.* n. 23. h. t.

48. *Quid de religionibus speciale privilegium habentibus, alienandi bona etiam stabilia absque licentia Papæ, vel ordinariorum?* — Tandem excipiuntur nonnullæ religiones, a Sede apostolica habentes speciale privilegium alienandi bona etiam stabilia pro necessitate, et utilitate monasteriorum, absque alia licentia Sedis apostolicæ, vel ordinariorum loci: prout fratribus, et monialibus ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, concessit Gregorius XIII, in sua constitut. 34. *Ex incumbenti* (ac refertur tom. II. *Bullar. Roman.*), dummodo in ejusmodi alienatione interveniat consensus duarum partium ex tribus fratrum, vel monialium, atque auctoritas prioris generalis. Quamquam hujusmodi privilegia ob eorum abusum postmodum fuerint revocata, vel saltem restricta in tantum, ut nullis regularibus intra fines Europæ existentibus, liceat dictas alienationes facere « absque sacra congregationis concilii expressa licentia in scriptis, et gratis concedenda: » prout refert Barbosa, lib. III. *Jur. Ecclesiast. univ.* c. 30. n. 15. adducens tenorem talis revocationis, seu decreti sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini.

49. *An requirantur præfatæ solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiæ? Sententia negativa cum suis rationibus refertur.* — Quæritur V. An requirantur præfatæ solemnitates juris, si alienatio ab una Ecclesia fiat alteri Ecclesiæ? Resp. I. Etsi non desint, qui probabile censeant, saltem loquendo in puncto juris, theorice, non requiri solemnitas alienationum in alienatione ab una Ecclesia in aliam: affirmativa nihilominus sententia est juri conformior, atque in praxi merito tenenda. Prior pars patet ex eo: quia memoratam sententiam tenet Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 95. n. 55. et seqq. citans Trivisan.

decis. 56, part. II; Aloys. Riccius, in *Praxi*, part. I. resol. 35. in fin.; Castro Palao, part. II, tract. XII, disp. un. punct. 15, sect. 3, n. 7; Ludov. Engel, h. t. n. 16. Rationem dant, tum quia in c. I. h. t. permittitur episcopo, ut si terram unius Ecclesiæ commutare voluerit cum terra alterius Ecclesiæ, id (subsistente tamen causa rationabili) facere possit; neque plus requiritur, nisi ut istud « cum consensu ambarum partium faciat. » Quod ipsum jam antea concessum videbatur in can. *Ea enim.* §. *Item sibi invicem.* 10, q. 2. Atqui permutatio rerum est vera alienatio, c. *Nulli.* 5. §. *Alienationis.* h. t. cum similibus; tum quia sacri canones, qui requirunt supra dictas solemnitates juris, principaliter agunt de alienatione rerum ecclesiasticarum laicis facta: ne videlicet res Deo semel dicatæ, ad profanos usus applicentur, contra c. *Semel Deo dicatum.* 51, *de Reg. jur.* in 6. aut ipsamet Ecclesia per voluntarias, et indiscretas alienationes depauperetur, atque in bonis suis, quibus laici inhiant, grave præjudicium patiatur, cit. Extravag. *Ambitosæ.* h. t. inter communes. Unde quia hæ rationes deficiunt in usu, quo res unius Ecclesiæ alienatur in aliam (omnes etiam constituunt unam Ecclesiam universalem, can. *Legimus.* §. *Nec altera.* dist. 93.) inferunt præfati auctores, saltem loquendo in puncto juris, tunc memoratas solemnitates non requiri: quamvis ultro fateantur, aliud servari de stylo Curie Romanæ, et consuetudine generali.

50. *Sententia affirmativa est juri conformior, et in praxi tenenda.* — Altera vero pars datæ conclusionis, videlicet oppositam, sive affirmativam esse juri conformiorem, et in praxi merito tenendam; probatur ex cap. I. h. t. in 6. ubi sermo est de alienatione decimarum facta ab una Ecclesia ad aliam: et tamen, quia in ipsa non fuerunt observatæ debitæ solemnitates juris (puta « quia tractatus solemnitis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem, » prout loquitur textus) tota concessio, sive alienatio dictarum decimarum, sententialiter cassata fuit, non obstante, quod fuerit facta ab una Ecclesia ad aliam. Et revera ponderando ly, « qui in talibus alienationibus exigitur, » etc., hæc sententia videtur clare decisa. Ad idem adducitur textus in can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. et c. *Nulli.* 5, h. t., ubi generaliter, atque

indistincte prohibetur fieri donatio, venditio, permutatio, aliæque alienatio rerum ecclesiasticarum sine justa causa, et non servatis solemnitatibus juris: ac proinde etiam censetur prohibita illa, quæ fit ab una Ecclesia ad aliam, dictis solemnitatibus non servatis; nam, ubi jus non distinguit, neque eos distinguere debemus, l. *De pretio.* ff. *de Publician.* in rem action. et alibi. Et idcirco hæc sententiam tenet Joan. Andreas, in *Collectan.* ibid. n. 2. allegans communem Romanæ Curie praxim: quidquid cit. allegat. 95, n. 55. in contrarium docuerit; Sperellus decis. 154. *Fori Ecclesiast.* n. 22, post Gratianum, *Discept. forens.* cap. xxvii. numer. 9, tom. III, et Rotam, in Treveren. honorum. 11 maii 1621, coram Dunozeo seniore; et in Perusina oblationum. 27 jun. 1640, coram Merlino; card. de Luca, *de Alienationib.* discours. 1. n. 104. Quaranta in *Summa Bullarum.* §. *Alienatio.* n. 15; Pyrrhus Corradus, in *Praxi Dispensation.* lib. IX. cap. x. n. 8; Bonacina, disp. 3. *de Contractib.* q. 8. p. IV. n. 20. alique plures, juncta praxi Curie Romanæ, de qua attestantur memorati auctores. Accedit ratio, quia etiam per hujusmodi arbitrarias, et quandoque indiscretas alienationes, facile particularibus Ecclesiis, grave damnum inferri contingeret, si fieri possent non servatis debitæ solemnitatibus juris.

51. *Solvuntur rationes negativæ sententiæ.* — Nec urgent rationes n. 49. in contrarium allatæ. Non quidem cap. I. h. t. Licet enim hic solummodo fiat mentio de consensu ambarum partium, non tamen idcirco excluduntur cæteræ solemnitates, quæ requiruntur per can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. et cap. I. h. t. in 6, cum concordantiis: alioquin enim, si quid inde probaretur, neque requiretur justa causa ad faciendam permutationem rerum unius Ecclesiæ cum alia; quod nemo concedit. Neque urget altera ratio: quia licet sacri canones plus abhorreant alienationem rerum ecclesiasticarum in laicos ob rationes in objectione allatas: nihilominus hæc etiam prohibent fieri ab una Ecclesia ad aliam, non servatis debitæ solemnitatibus; cum indistincte loquantur, simulque per indiscretas alienationes facile Ecclesiis particularibus grande præjudicium inferri possit.